Czochron Sebastiani: Assertiones ex Historia Iuris Canonici et Iure ecclesiastico universo selectae.

2345 Pravo.

ASSERTIONES
EX
HISTORIA JURIS CANONICI
ET
JURE ECCLESIASTICO UNIVERSO
SELECTÆ,

QUAS

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS IN JURE CANONICO

RITE CONSEQUENDI

IN CATHOLICA UNIVERSITATE ARGENTINENSI

DIE LUNÆ XXI FEBRUARII, HORA POST MERIDIEM SECUNDA

A. R. S. MDCCLXXXV.

SOLEMNI EXAMINI

SUBMITTIT

SEBASTIANUS CZOCHRON,

IN UNIVERSITATE CRACOVIENSI PHILOSOPHIÆ DOCTOR, MATHES. PROFESSOR, A SUPREMO PUBLICÆ INSTITUTIONIS IN REGNO POLONIÆ MAGISTRATU AD DOCENDUM JUS ECCLESIASTICUM DESIGNATUS.

ARGENTORATI, Typis FRANCISCI GEORGII LEVRAULT, Episcop. Universitatis Typogr.

Digna vox eſt majeſtate Regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri; adeò de autoritate juris noſtra pendet autoritas; & reverà majus imperio eſt ſubmittere legibus principatum; & oraculo præſentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. *Imp. THEODOS. & VALENT. ad Volus. præf. Præ. Cod. Theod.*

SERENISSIMO.
PUBLICÆ. INSTITUTIONI.
PRÆFECTORUM. COLLEGIO.
GENERIS. VIRTUTIS. SCIENTIÆ. GLORIA.
BONI. COMMUNIS. ZELO.
ET.
REI. LITTERARIÆ. REGIMINE.
FLORENTISSIMO.
QUOD.
SACRA. REGIA. MAJESTAS.
STANISLAUS. AUGUSTUS.
REX. POLONIÆ. COGNOMENTO. SAPIENS.
MAGNUS. DUX. LITHVANIÆ.
PACIS. ORDINIS. JUSTITIÆ.
LEGUM. LITTERARUM. MERITORUMQUE.
FAUTOR. PATERQUE. PATRIÆ.
UT.
SOCIETATI. HOMO. UTILIS.
REGNO. CIVIS. DOCTUS.
RELIGIONI. BONUS. CHRISTIANUS.
DARETUR.
IN. SEDE. REGNI. VARSOVIÆ.
ANNO. MDCCLXXV.
INSTITUIT.
SACRUM.

ASSERTIONES.

Nemo docetur, nisi discat; & nemo discit, nisi doceatur.
S. AUGUSTINUS *Serm. XXVII. in Psalm. CXVIII.*

EX

HISTORIA JURIS CANONICI

ASSERTIO I.

DE JURE PRIMITIVÆ ECCLESIÆ.

PRÆTER novam veteremque Scripturam (*a*), tribus prioribus admirandæ virtutis, persecutionis & christianæ patientiæ seculis, Leges scriptæ non erant in Ecclesia. Reliquerunt tamen Apostoli quasdam fidei ac disciplinæ regulas ab ore Christi acceptas, quibus per traditionem continua successione diu & religiosè

retentis, fidelium cætus à ſuis paſtoribus feliciter ac non ſine prodigio regebatur. Cumque hi non minus eſſent vera eccleſiæ quam reipublicæ membra, omnes ad unguem parebant epiſcopis, principibus (*b*), magiſtratibus legibuſque civilibus.

(*a*) Ad veterem Scripturam ſive ad *vetus Teſtamentum*, pertinent Libri ſacri ante Chriſti nativitatem conſcripti. Tales ſunt quinque Moyſis : id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaïas, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id eſt : Oſea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & ſecundus. Ad novam Scripturam ſive ad *novum Teſtamentum*, ſpectant Libri ſacri poſt nativitatem Redemptoris noſtri confecti. Huc referuntur quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem; Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti; quatuordecim epiſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galathas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Colloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Thimotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli. Utrique hi novi ac veteris Teſtamenti Libri à Concilio Tridentino Seſſione quarta ſuſcepti, chriſtianæ religionis & juris eccleſiaſtici firmum eſſe fundamentum creduntur. *Evangelium*, nihil aliud eſt, quam hiſtoria vitæ Jeſu Chriſti, & ſuæ

doctrinæ omnibus utilissimæ compendium. Hic divinus Liber sola tantum meditatione indiget, ut cum animam ad auctoris sui amorem, tum voluntatem ad præceptorum suorum observantiam excitet.

(*b*) Multa sunt in Scripturis præcepta, quæ fidelitatis ac obedientiæ principibus præstandæ, clero & populo strictum imponunt officium. Quædam hic adduxisse sufficiat. — Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ sunt Dei, Deo. *Matth.* 22, *v.* 21. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. *Rom.* 13, *v.* 1, 2. Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, 1. *Petr.* 2, *v.* 13. — Nihil sane est in imperio, quod leges, religio ac honor magis commendent, quam subjectionem paternæ principum voluntati debitam. Felix ea natio, ubi tanta est Sacerdotii & Imperii concordia, ut clerus principi ordinanti obedire, & princeps clero monenti parere vicissim studeat. Nam dixit Christus : *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Matth.* 10, *v.* 40. Præterea salutis reipublicæ plurimum interest, ut æque subditi in Deum credant, & imperanti promptè omnes pareant; ac etiam imperans Deum timeat, justitiam colat, leges ac decentiam primus observet, subditos amore patris diligat atque protegat.

ASSERTIO II.

DE CANONIBUS APOSTOLORUM.

Canones Apoſtolorum dicti, diſciplinæ ſecundi & tertii ſeculi in multis conformes, nec ab ipſis Apoſtolis conditi, nec a Clemente divi Petri diſcipulo & primi ſeculi pontifice in unum congeſti ſunt. Id potius dicendum venit, illos ætati Origenis (*a*) incognitos, a viris apoſtolicis ex primis ſynodis ad finem ſeculi quinti in oriente collectos, ab utraque Eccleſia certo numero receptos (*b*), & ab homine malevolo auctos fuiſſe & corruptos. Major eorum apud græcos, quam apud latinos fuit ſemper auctoritas.

(*a*) Origenes Leonidæ martyris filius, magnæ virtutis & eruditionis vir, natus eſt Alexandriæ anno 185. Longa & ingentia pro fide catholica paſſus ſupplicia, obiit Tyri anno Chriſti 254, ætatis 69. Æquum de hoc immortali ſcriptore ferendo judicium, fateri contra ſuos inimicos operumque ſuorum corruptores oportet, ejuſmodi patrem ſummo flagraſſe de fide, eccleſia & illius unione bene merendi ſtudio. Ex omnibus operibus, quæ ad nos feliciter pervenerunt, maximam ſibi parituri ſunt gloriam octo libri contra Celſum; quibus infenſi chriſtianæ religionis hoſtes ſolide refelli, & de errore gravi, ſi veritati parere velint, plane convinci queunt. In ſuæ ætatis flore, duos nempe de viginti agendo annos, S. Clementis Alexandrini deſignatus ſucceſſor, dum utrique ſexui pro munere ſacras explanabat ſcripturas, non minus offenſionem &

calumniam antevertens, quam dicta Christi de spontaneis eunuchis ad litteram intelligens, eunuchum se bona fide fecerat. Id autem Origenes omnium consensu divinarum scripturarum callentissimus observator non fecisset, si canones Apostolorum, quorum vigesimus secundus recipi in sacerdotium tales prohibet, & vigesimus tertius ab eo excludi mandat, suo tempore extitissent. Ecce hos duos canones — *Ut qui se eunuchizavit, clericus non fiat.* — *Ut clericus, qui se eunuchizavit, abjiciatur a Clero.*

(*b*) Ecclesia orientalis, LXXXV canones a Concilio Trullano approbatos agnovit; quos licet apostolicos nominet, non tamen credit ab Apostolis fuisse conditos. Occidentalis priores L. canones tantum recepit, sed non omnes observat. Singuli hi canones vocantur spurii, à Petro de Marca, Tillemontio, Natali Alexandro, Pagio aliisque famæ præclaræ viris.

ASSERTIO III.

DE CODICE ECCLESIÆ UNIVERSÆ.

Prima canonum collectio partus seculi IV, in oriente auctorem habuit anonymum. Concilii Chalcedonensis (*a*) canone primo, præcedentium conciliorum canones approbatos quidem fuisse, certum est; an autem hæc canonum collectio pariter approbata fuerit, valde incertum. Interim fuit illa mox è græco in latinum, nescitur a quo, in occidente seculo V versa, aucta & *Codex Canonum Ecclesiæ Universæ* appellata. Hic

Codex quatuor conciliorum generalium Nicæni I, Conſtantinopolitani I, Epheſini, Chalcedonenſis; & quorundam particularium canones, modo non ſatis perfecto exhibebat (*b*).

(*a*) Concilium id æcumenicum ordine quartum, habitum eſt Chalcedone anno 451, præſidentibus in eo quatuor apoſtolicæ ſedis legatis. MARCIANUS Imperator, cujus ope fuerat congregatum, ad trecentos ſexaginta tam orientis quam occidentis epiſcopos, hæc fecit verba: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſiſſimi Conſtantini, ſynodo intereſſe voluimus; ne ulterius populi pravis ſuaſionibus ſeparentur.* Ibi Eutychianorum & Neſtorianorum errores proſcripti, & canones XXIX ſunt conditi. Primus hæc verba continet: *Canones ſanctorum patrum per unamquamque ſynodum nunc uſque conſtitutos, obtinere volumus. HARDUIN. in Collect. Concil. tom. II.*

(*b*) CONSTANTINO M. Imperat. qui primus & immortalis eſt religionis chriſtianæ protector, æque debet chriſtiana eccleſia diu multumque optatam pacem, ac liberum & ſolemne ſacræ ſuæ poteſtatis juriumque ſuorum exercitium. Sub illius imperio celebrata ſunt cum duo antiquiſſima Ancyranum & Neocæſarienſe concilia, quorum adhuc leguntur canones, tum etiam Nicænum, quod inter æcumenica & generalia primum locum obtinet. Jam quidem fideli populo ſuæ religionis exercitium anno 311 conceſſum erat; ſed brevi Maximinus fidem chriſtianam profitentes turbari ac torqueri mandavit. Tyranno hoc divina ope profligato, & eccleſiæ plena libertas, & chriſtianis abrepta bona edicto Conſtantini a. 313 reſtituta fuere. Orta deinceps hominum diffidia, hæreſes, ambitio & abuſus; qui credendi agendique licentia unitatem eccleſiæ, fidei morumque ſanctimoniam vix non labefactaverant, frequentioribus conciliis peragendis, & legibus eccleſiaſticis promulgandis occaſio-

nem dederunt. His ergo natales debent canones & constitutiones numerosæ ecclesiam concernentes, quorum complexus jus canonicum dici solet.

ASSERTIO IV.

DE GENUINA COLLECTIONE DIONYSII EXIGUI.

Secundam fidelioremque prisca illa versione canonum editionem, Dionysius cognomento Exiguus, æræ christianæ conditor (*a*) seculo VI latinitate donavit, canonibus Apostolorum, conciliorum Africanorum regulis, & decretis pontificum a Siricio ad Anastasium viventium, tanquam parte secunda auxit (*b*). Hæc tantam est auctoritatem adepta, ut simplici nomine Corpus & Codex canonum vocaretur, ac Romanæ Ecclesiæ ab eo tempore in usu esset diuturno. Illius disciplina tam pura tamque salutaris reperta est, ut græcos, cum ad sui reverentiam, ac de latino translationem, tum ad varia ex eodem compendia & *nomocanones* adornandos excitaverit (*c*). Tertiam canonum latinam collectionem seculo VII celebrem, an Isidorus *Hispalensis Antistes*, inter præclara virtutis ingeniique sui monumenta omnino reliquerit, incertum est.

(a) Dionysius Romanus Abbas, omissa profana annorum numeratione per olympiades, vel consules vel indictiones, primus a nativitate Christi annos notare cæpit. Ab Hadriano Papa, Carolo M. Regi cum Romæ esset, ad usum occidentalium ecclesiarum non epitomen, sed integram illius collectionem anno 787 oblatam fuisse, potiori auctorum parte evincitur. Ab illo demum tempore in Gallia & Germania, ubi prisca canonum translatio viguit, usus Dionysianæ collectionis regia auctoritate invaluit : hunc tamen usum fortis præcessit oppositio præsulum, qui mores antiquos synodorumque provincialium statuta, dictis Apostolorum canonibus & decretalibus pontificum epistolis anteferre noluerunt. De eo ejusque latina canonum interpretatione, juvat hic duo afferre testimonia. Primum est CASSIODORI *cap. 23, divin. lect.* " Generat etiam „ hodieque catholica ecclesia viros illustres probabilium dog- „ matum decore fulgentes. Fuit enim nostris temporibus & „ Dionysius Monachus, Scytha natione, sed moribus omni- „ no Romanus, in utraque lingua valde doctissimus; red- „ dens actionibus suis quam in libris Domini legerat æquita- „ tem; qui scripturas divinas tanta curiositate discusserat at- „ que intellexerat, ut undecunque interrogatus fuisset, pa- „ ratum haberet & competens sine aliqua dilatione respon- „ sum. Fuit in illo cum sapientia magna simplicitas, cum fa- „ cundia loquendi parcitas; ut in nullo se vel extremis famu- „ lis anteferret, cum dignus esset regum sine dubitatione col- „ loquiis. Qui petitus a Stephano Episcopo Salonitano, ex „ græcis exemplaribus canones ecclesiasticos, moribus suis ut „ erat planus atque disertus, magnæ eloquentiæ luce compo- „ suit, quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complec- „ titur. Hos etiam oportet vos assidue legere, ne videamini „ tam salutares ecclesiasticas regulas culpabiliter ignorare. „ Alia quoque multa ex græco transtulit in latinum, quæ uti- „ litati possunt ecclesiæ convenire. „ Secundum testimonium „ desump-

desumptum *ex Annalibus Ecclesiasticis Cæsaris* BARONII *Cardinalis, ad an. 1325, num. 123,* sic habet : „ Si fidelitas atque „ peritia in transferendo, & sinceritas in edendo quam maxi- „ ma requiratur; nulla exquiri potest editio exactior atque „ fidelior, quam quæ elaborata est a magno illo sed cogno- „ mento Exiguo Dionysio, cujus eximiam in utraque lingua „ peritiam & morum egregiam probitatem, Cassiodorus dignis „ laudibus mirifice prædicat. „

(*b*) Splendida illius editio prodiit sub titulo : *Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ*, Parisiis 1685, in f. cura *Francisci* PITHÆI.

(*c*) *Fulgentius* FERRANDUS Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, *Breviationem Canonum ; Joannes* SCHOLASTICUS Presbyter Antiochenus *Nomocanonem ;* CRESCONIUS Episcopus Africanus *Breviarium Canonicum*, eodem seculo adornarunt. Eorum vestigiis inhærendo PHOTIUS Patriarcha Constantinopolitanus, ad ostendendam canonum cum legibus civilibus harmoniam, seculo IX *Nomocanonem* dedit. Tandem *Theodorus* BALSAMON *Constitutiones Ecclesiasticas* sub finem seculi XII ordine eleganti confecit. Primus erat CRESCONIUS, qui inter canones conciliorum locavit pontificum epistolas & decreta, ad consultationes episcoporum seculi unius spatio data. Juris ecclesiastici orientalis collectionem ediderunt *Guil.* VOELLUS & *Henr.* JUSTELLUS in *Biblioth. jur. can. vet.* duobus tomis.

ASSERTIO V.
DE SPURIA COLLECTIONE PSEUDO ISIDORI.

CIRCA finem seculi VIII, quarta canonum falsarumque decretalium collectio (*a*) nata est in Hispa-

nia, & in occidente ſub adoptato *Iſidori* nomine longe lateque diffuſa. Hæc ſola eſt *ſuppoſititiorum interpolatorumque decretorum congeries* (*b*).

(*a*) Funeſtæ hujus collectionis parentem eſſe ISIDORUM HISPALENSEM, ex profunda ignorantia temporumque barbarie, quidam crediderunt; unde horrenda in diſciplina eccleſiaſtica remiſſio nata, & per octo ſecula propagata fuit. Gratiæ ſunt habendæ ſeculi XVII criterio, quod pulſis ignorantiæ nubibus, eam poſteris veritatem oſtendit: tam ſingulas quatuor primorum ſeculorum decretales a Clemente ad Siricium congeſtas non habere natales legitimos ac authenticos; quam hujuſmodi impoſtorem canonicæ diſciplinæ in clero & populo evertendæ cupidum, *Iſidorum Mercatorem* aut *Peccatorem* nominari. Dionyſius Exiguus, qui ducentis ante Hiſpanicum earum compilatorem annis vixit, & a Siricio incepit ſuas, penitus ignorabat illas.

(*b*) van ESPEN. in diſſertat. de collectione Iſidori, tom. III, op. p. 451.

ASSERTIO VI.

DE COLLECTIONIBUS REGINONIS, BURCHARDI ET IVONIS.

REGINO *Abbas Prumienſis*, primus eſt in Germania, qui librum ſub titulo *de diſciplinis eccleſiaſticis & religione chriſtiana*, conſilio *Rathbodi*, Archiepiſcopi Trevirenſis compoſitum, initio ſeculi X de-

dit (*a*). Burchardus *Wormatiensis Episcopus*, inchoante seculo XI, concinnavit *Decretorum libros XX* (*b*). Ivo *Carnotensis Episcopus*, excerptiones ecclesiasticarum regularum, vulgo *Decretum* appellatas, sub initium seculi XII edidit (*c*). Tres ejusmodi partus natales debent prioribus canonum codicibus, decretis pontificum, dictis patrum (*d*), legibus ecclesiasticis Imperatorum Romanorum, & capitularibus Regum Francorum; quæ ad tempora *Gratiani* summam auctoritatem in Sacerdotio & Imperio Galliæ, Germaniæ ac Italiæ habuerunt. Hæ & illæ majoris nominis collectiones *jus ecclesiasticum antiquum* ex parte non modica obsoletum exhibent.

(*a*) Reginonis collectionem in Gallia obscure notam, *Stephanus Baluzius* amator juxtaque cultor omnium, qui aut facerent aut scriberent æternitate digna, notis illustravit, & imprimi fecit Parisiis 1671 in-8.

(*b*) Collectio Burchardi, qui ex ipsis fontibus juris fundamenta haurire sæpe neglexit, multis non caret vitiis; amplitudine præcedentes excedens, *magnum decretorum volumen* dici meruit. Prodiit Coloniæ 1548 in-fol.

(*c*) Ivonis decretum septemdecim partibus distinctum edidit *Joannes Molinæus*, Lovanii 1561 in-fol. *Panormia* ex eo confecta octo partibus constans, edita est Basileæ 1499 in-4. sub titulo: *Liber decretorum seu Panormia Ivonis*. Panormiam, *Bellarminus* opus esse in arctiorem formam ab Ivone contractum negat, *Antonius Augustinus* affirmat.

(*d*) Patres dicuntur, qui prioribus ecclesiæ seculis viventes, traditionem ecclesiæ in scriptis reliquerunt. Hinc ATHANASIUS, BASILIUS, GREGORIUS NAZIANZENUS, JOANNES CHRYSOSTOMUS &c. a Græcis; AMBROSIUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS, GREGORIUS M. &c. Patres & Doctores ecclesiæ a Latinis vocantur. THOMAS Aquinas & BONAVENTURA, qui post sec. XII, scriptis evaserunt celebres, non Patrum, sed Doctorum ecclesiæ auctoritatem habent. Ad constituendum Doctorem ecclesiæ, tria hæc requiruntur : eminens doctrina, insignis vitæ sanctitas, & ecclesiæ declaratio.

ASSERTIO VII.

DE CORPORE JURIS CANONICI.

CORPUS juris Canonici novi duabus constat partibus. *Primam* facit Decretum Gratiani (*a*), *alteram* Decretales (*b*); quæ sunt decreta & constitutiones pontificum in conciliis vel extra concilia post Decretum Gratiani editæ. Huc pertinent Decretales Gregorii IX (*c*), Sextus Decretalium Liber Bonifacii VIII (*d*), Clementinæ (*e*), Extravagantes Joannis XXII (*f*), Extravagantes communes (*g*). Institutiones juris Canonici a Paulo Lancelotto JCto Perusino elaboratæ; ac Liber Septimus Decretalium a Petro Matthæo JCto Lugdunensi editus; quibus nulla suffragatur receptio, non merentur fidem publicam:

nam utriusque compilationem Corpori juris canonici (*h*) privato studio recentius annexam esse, inter omnes constat.

(*a*) Opus hoc labore magno sed minore judicio, ex antiquis collectionibus in usus Academiæ Bononiensis a GRATIANO *Monacho Benedictino* conscriptum, & ab EUGENIO III an. 1152 probatum; vitio temporis, quo fuit ars critica fere incognita, ubique gentium reverenter acceptum erat. Explicabatur in Scholis, citabatur in Judiciis, unanimique consensu veluti solum juris canonici Corpus, usum & observantiam obtinuit. Seculares & ecclesiastici principes, eos tantum ad consilium, amicitiam, justitiæ suorumque negotiorum curam trahebant, quos JUSTINIANI & GRATIANI scientia commendaret. Fateri tamen oportet, illam de *Decreto* opinionem semper fuisse, quod contenti in eo canones non majorem auctoritatem haberent, quam ipsi fontes, ex quibus derivant ortum. Jussu PII IV & V, tandem GREGORII XIII à XXXV viris doctis an. 1580 correctum emendatumque est. Multos in eo contentos errores ex spuriis *Pseudo Isidori* decretis haustos, peculiari tractatu *de emendatione Decreti Gratiani*, demonstravit ANTONIUS AUGUSTINUS *Episcopus Tarraconensis.*

(*b*) Libros decretalium ad celeberrimas Academias per rescripta pontificum mos erat mittendi, ut per earum Doctores atque juris cultores, usum *academicum* & *forensem* facilius obtinerent. Non multo post cum in Scholis legerentur ex cathedra, non *decretistarum* sed *decretalistarum* laudibus ornarentur nomina, posteriores etiam Academiæ antiquiorum exemplis inhærerent; tum decretales Aulæ Romanæ auctoritati innixæ, ex Scholis ad Judicia, perinde ac jus Romanum, per omnes orbis partes penetrarunt; ac ad eam, qua nunc pollent, existima-

tionem in utroque foro, *principum* & *episcoporum* consensu evectæ sunt.

(*c*) Fontes earum sunt quinque antiquæ decretalium collectiones. Prima est *Bernardi Circæ*, Præpositi Papiensis, cujus maximam partem faciunt canones Concilii Lateranensis IV de an. 1179. Altera est *Joannis Vallensis* de an. 1191. Tertia *Petri Beneventani* ex epistolis Innocentii III de an. 1212. Qnarta prodiit sub auspiciis Innocentii III maxime ex Concilio Lateranensi IV, an. 1215. Quinta jussu Honorii III an. 1227 adornata est. Ex his antiquis jussu Gregorii IX, *Raymundus de Pennafort* ejus Capellanus & Pœnitentiarius, adjectis etiam ipsius Gregorii decretalibus, novam collectionem an. 1234 perfecit. Digesta est in V libros; materiarum ordinem in iis servatum sequens exhibet versus: *Judex*, *Judicium*, *Clerus*, *Sponsalia*, *Crimen*.

(*d*) Sextum Decretalium, ex duabus collectionibus utriusque Concilii Lugdunensis, ex suis suorumque prædecessorum præsertim Innocentii IV & Gregorii X decretalibus, ad methodum anterioris collectionis edendum, & an. 1298 ad usum scholæ & fori, Bonifacius VIII publicandum curavit. *Sextus* vocatur, quod fuerit quinque libris Gregorianæ compilationis adjectus. Ob diffidia inter Bonifacium & Philippum Pulchrum, in Gallia patitur quandam existimationis jacturam.

(*e*) Clementinæ constitutiones componuntur ex generalis Concilii Viennensis decretis, ac aliquot Clementis V decretalibus. Has non ille morte præventus, sed *Joannes XXII* successor suus publicari fecit an. 1317.

(*f*) Joannis XXII constitutiones numero viginti privato studio collectæ, in XIV titulos circa annum 1340 digestæ, & Corpori juris nondum annexæ, Extravagantium nomen acce-

perunt. Eandem olim appellationem ferebant ſanctiones pontificum *Gratiano* posteriores, quod vagarentur extra Decretum ejus.

(*g*) Decretales diverſorum pontificum, cum ultima SIXTI IV in V libros diviſæ, privato etiam ſtudio circa annum 1484 Corpori juris adjectæ, dicuntur EXTRAVAGANTES COMMUNES.

(*h*) Præſtans illius editio eſt *Juſti Henningii* BŒHMERI JCti Reg. Boruſſ. Halæ Magdeburgicæ 1748. Conſtitutionum papalium amplior collectio edita eſt a Laertio & Angelo Maria Cherubino in Bullario magno, tomis XV.

ASSERTIO VIII.

DE RECEPTIONE JURIS CANONICI IN FORO CIVILI.

QUOMODO in forum civile, neglecta juris Romani praxi, juris Canonici formulæ introductæ ſint? immortalis MONTESQUIUS (*a*) hanc aſſignat cauſam. Quondam verſabantur ſemper ante oculos tribunalia ſolius cleri, qui ſequebatur juris Canonici formulas, nullumque noſcebatur tribunal, quod obſervaret juris Romani normam. Eccleſiaſticæ & ſecularis poteſtatis limites tunc erant parum cogniti: fuerunt homines, qui ad utrumque forum trahebant agebantque ſine diſcrimine lites; fuerunt etiam cauſæ, quæ ſimili

agitabantur modo. Ex quo facile conjicitur, profanam jurisdictionem in exclusione alterius non amplius sibi reservasse, quam cognitionem rerum feudalium criminumque a laicis commissorum; in illis praesertim casibus, in quibus religio offensionem patiebatur nullam. Enimvero si in pactis & contractibus profanam adire oportuit justitiam, liberum erat partibus litem prosequi in judiciis clericorum; qui jure adigendi justitiam laicam destituti, ut sententiam a se latam executioni daret; suis decretis obedire excommunicationis via reos compellebant. In hujusmodi circumstantiis cum in foro civili cogitatum fuerit de jurisdictionis competentia & de mutanda consuetudine; praxis ecclesiasticorum recepta est ideo, quod omnibus nota esset; neglecta vero est juris Romani forma, quod ejus notio a nemine haberetur. Equidem in praxi id tantum scimus, quod observari videmus (*b*).

(*a*) L'esprit des loix tom. III, chap. XL, pag. 388 & 389. Vid. *Jos. Ernest.* FLOERCKE de praerogat. jur. Can. prae Justinian. Halae 1757.

(*b*) His non sine fundamento adjici debet: multas in jure Canonico inveniri sanctiones, quae majorem justi & aequi rationem prae se ferunt, quam plurima juris Justinianei placita.

NOTIO-

NOTIONES GENERALES.

I. Leges ecclesiasticæ a veteribus canones, jus canonicum, pontificium aut ecclesiasticum a recentioribus dictæ, continent fidei & disciplinæ regulas ecclesiæ membra obligantes. Jus eas ferendi est penes potestatem ecclesiasticam pontifici & episcopis intra fines ecclesiæ diverso modo competentem; quæ exercetur vel in conciliis vel extra concilia cum ecclesiæ dispersæ consensu; in illis latæ *canones*, extra illa latæ *constitutiones* speciatim vocantur.

II. Decisiones *Doctorum* a virtute & sapientia commendatorum, licet dignæ sint reverentia, non tamen pro regulis, sed pro consiliis haberi debent. Idem est de *Judiciorum* decretis, quod cum sint tantum particularia exempla, nullam ideo imponunt necessitatem, ut in simili casu res eodem & non alio modo judicetur.

III. Leges ecclesiasticæ determinant jura & officia circa religionis exercitium & circa ecclesiam. Harum complexus dicitur jus ecclesiasticum. Jurisprudentia ecclesiastica est scientia juris ecclesiastici ejusque applicationis ad negotia ecclesiastica.

IV. Jus ecclesiasticum vel est publicum vel privatum. *Publicum* jura & officia inter Superiorem & membra ecclesiæ ejusque cum republica nexum determinat. *Privatum* jura & obligationes membrorum ecclesiæ inter se definit. Publicum concernit tum Superiorem in Ecclesia, tum Superiorem in Republica.

V. Subsidia jurisprudentiæ ecclesiasticæ universæ sequentia sunt: jus naturæ, sacra Scriptura, historia ecclesiastica; notitia antiquitatum ecclesiasticarum, historia juris canonici, studium conciliorum; notitia litteraria Scriptorum ecclesiasticorum, notitia concordatorum inter sedem Apostolicam & Imperantes initorum, variarum pacificationum, constitutionum pontificiarum, constitutionum a principibus circa ecclesiam latarum.

EX
JURE ECCLESIASTICO PUBLICO
ASSERTIO I.
DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Ecclesia (*a*) ab ipſo Jesu Christo fundata, & a Spiritu Sancto edocta, jus habet determinandi in agendis & credendis ea, quæ ſunt neceſſaria ſuo fini obtinendo & promovendo. Hoc jus, *Regimen* aut *Poteſtas Eccleſiaſtica* (*b*) dictum, eſt in ſuo genere ſummum & a civili imperio apud omnes nationes independens : in eoque conſiſtit, ut rebus humanis atque temporalibus inviolate relictis, ſolam cultus divini animarumque curam gerat, ac æternam ſalutem membrorum eccleſiæ mediis opportunis promoveat. Primum enim ſpectare ad principes nationum, alterum ad epiſcopos apoſtolorum ſucceſſores, ex ſacris litteris (*c*) & octo primorum ſeculorum uſu (*d*) evincitur. Eccleſia vel eſt univerſalis vel particularis : illa ex omnibus per orbem terrarum diſperſis eccleſiis particularibus, hæc ex omnibus per

eandem regionem ejuſdem fidei conſortibus conſtat. Regimen eccleſiaſticum extendit ſe ad poteſtatem leges ferendi, ſecundum eas judicandi, nec non curandi & efficiendi ut leges de cauſis eccleſiaſticis latæ obſerventur.

(*a*) Eſt ſocietas fidelium per eandem fidem & eorundem ſacramentorum communionem ſub legitimis paſtoribus unitorum, de religione Chriſti colenda. Societas iſta *inæqualis* eſt, duas nempe diſtinctas perſonarum claſſes continens. In ejus politia alii ſpectant ad claſſem paſtorum & rectorum, alii ad claſſem ovium & ſubditorum : alii ſunt, quos Spiritus Sanctus poſuit regere eccleſiam Dei, paſcere, ligare & ſolvere ; alii, qui reguntur, paſcuntur, ligantur & ſolvuntur. Illorum eſt præeſſe, negotia ſacræ reipublicæ regere ac definire; horum eſt, debitum illis honorem exhibere, eos religioſe ſequi, atque regulas ab ipſis conſtitutas fideliter cuſtodire. Hujuſmodi veritatem confirmant illa Chriſti verba : *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Apud *Matth. loc. cit.*

(*b*) Ad eam pertinent privationes bonorum & jurium, quibus fideles ut membra eccleſiæ chriſtianæ gaudent : ſed pænæ mortis, corporis afflictivæ, pecuniariæ, ac privationes jurium ſive naturalium ſive per civitatem acquiſitorum; pænæ ſeculares ſunt, & poteſtati civili competunt. Præſules, paſtores facti ſunt, non percuſſores, eorum eſt arguere, obſecrare, increpare in omni patientia & doctrina. 2. *Thimoth.* 4, *v.* 2.

(*c*) Regimen eccleſiaſticum ex ſua inſtitutione non eſt pure *monarchicum* : nam docenti eccleſiæ certa ratione conceſſum & illius exercitium omnibus apoſtolis demandatum fuiſſe, ſer-

mones Christi ad eos directi ostendunt. — Pax vobis : sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos. *Joan.* 20, *v.* 21. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra : euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos . . . docentes observare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. *Matth. in fine.* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis : & quorum retinueritis, retinebuntur. *Joan.* 10, *v.* 22. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te non audierit, adhibe unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : si illos non audierit, dic ecclesiæ; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo : & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. *Matth.* 18, *v.* 15 *sq.* — Quid inde adhuc sequitur ? en propriam ecclesiæ jurisdictionem totam spiritualem esse, omnemque illam auctoritatem, quam in negotiis temporalibus contentiosis exercet, non ex divina institutione, sed ex principum indulgentia pietateque oriri. Divinus ecclesiæ christianæ conditor, nec ipse se regimini temporali unquam immiscuit, nec suos discipulos eidem immisceri voluit; hoc illis tradito principio — Regnum meum non est de hoc mundo. *Joan.* 18. — Vid. Joan. DARTIS differt. de statu eccles. apost. temp.

(*d*) Episcopi ab initio cognitionem de causis spiritualibus & ecclesiasticis tantum habebant. Imperatores Romani in civilibus negotiis judicandi potestatem iis dederunt, concessa *Episcopali audientia. L.* 7, *C. de episc. audient.* Sub Regibus Francorum temporalis jurisdictio illis fuit demandata; quæ circa sec. XII ex administratoria in propriam abiit. *Petr. de* MARCA *de conc. sac. & imp. lib.* 4, *cap.* 7 & 10.

ASSERTIO II.

DE ROMANO PONTIFICE.

Romano Pontifici divi Petri successori & occidentis Patriarchæ, primus in Hierarchia ecclesiastica debetur locus (*a*). Illi soli in universam ecclesiam potestatis *Primatus* ad conservandam in ea fidem unitatemque tendens (*b*), jure proprio eoque divino competit (*c*).

(*a*) Jura pontificum vel sunt *primaria*, quæ ex regimine ecclesiæ & ex subordinatione regiminis particularis, conservandæ unitatis causa descendunt; vel *secundaria*, quæ ab episcopis, conciliis provincialibus ad solos pontifices a sec. XI transierunt. *van* Espen. *in jur. eccl. P.* 1, *tit.* 16, *c.* 2 & 3.

(*b*) *Jo.* Gerson *de auctoritate ecclesiæ. tom. I, op. p.* 145.

(*c*) Hæc assertio constanti ecclesiæ traditione, patrum dictis, conciliorum decretis & unanimi doctorum consensione probari potest. His omnibus brevitatis studio prætermissis, eos, qui dicunt primatum pontifici fuisse acquisitum per gradus, per artes, per secula, colore vicariatus divini; sola Christi verba ad Petrum directa intra limites justitiæ revocare deberent : *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. . Tibi dabo claves regni cælorum, quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis ; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis. Matth.* 16, *v.* 18. *Pasce oves meas, pasce agnos meos. Joan.* 21, *v.* 15, 16. Non ignoro his etiam divinis verbis sinistras interpretationes dari; sed tanti ponderis non sunt, ut solide refelli nequeant.

ASSERTIO III.

DE EPISCOPIS EORUMQUE JURIBUS.

I. Epiſcopi, teſtantibus Ignatio, Cypriano, Hieronymo, Auguſtino aliiſque veteribus, veri ſunt apoſtolorum ſucceſſores (*a*). Sicut apoſtoli pari conſortio honoris & poteſtatis a Chriſto poſt reſurrectionem ſunt præditi, ita etiam omnibus epiſcopis, qui ſunt Ordinarii per diæceſim (*b*), par eademque in regimine eccleſiaſtico auctoritas, ſalvo jure Primatus, competit.

(*a*) In primitiva eccleſia omnes epiſcopi, ut diſtinguerentur a presbyteris, ſæpius vocabantur *Apoſtoli.* Epiſcopus enim & presbyter nomina erant clericis primi ordinis communia. Succeſſu temporis ſatis honoris ſibi ducebant *Succeſſores Apoſtolorum* nominari : unde eccleſia, in qua epiſcopus apoſtolo ſucceſſerat, *Eccleſia Apoſtolica* vocabatur. Ut etiam a principibus ſecularibus diſtinguerentur, appellati ſunt *Rectores, Principes populi* & *eccleſiæ.* Ab aliis vocabantur *Antiſtites, Præpoſiti* ſeu *Præſides eccleſiæ*, ab aliis *Inſpectores* vel *Inſpectatores* uſque ad ſeculum IX, quod iis non cura tantum & præſidium, ſed etiam eccleſiæ inſpectio concredita fuerit. Et cum non ſoli populo ſed clericis etiam præeſſent, ob eam rem *Summi Sacerdotes, Pontifices ac Principes Sacerdotum* honoris cauſa nominabantur. Quilibet epiſcopus ad ſec. IV *Papa* dicebatur. Communis omnium epiſcoporum hic erat titulus : *Eccleſiæ Patres, Patres clericorum.* Unde Hieronymus ep. 62 ad Theo-

philum hæc habet verba : *Epiſcopi contenti ſint honore ſuo; Patres ſe ſciant eſſe, non Dominos.* Dabatur etiam majorum ſedium epiſcopis nomen *Patriarchæ.* Antiquis temporibus *Vicarios Chriſti, Angelos eccleſiæ* appellatos fuiſſe conſtat. Romano epiſcopo nomen *Papæ*, quod denotat *Patrem*, in Concilio Toletano an. 400, prima vice per excellentiam datum fuit. *Conf. Joſ.* BINGHAM *de orig. ſive antiquit. eccleſ. P. 1, L. 2, c. 2, ſq.*

(*b*) Jurium epiſcopalium quatuor partes eſſe cenſentur. Alia ſunt *ordinis*, veluti jus ordinandi clericos, confirmandi baptizatos, conficiendi chriſma, conſecrandi & reconciliandi eccleſias, benedicendi abbates, abbatiſſas, virgines ſacras, cæmeteria. Alia *juriſdictionis*, quo pertinet jus decidendi contentioſa eccleſiaſticorum negotia, jus corrigendi, puniendi, ſtatuendi, diſpenſandi, ſynodum diæceſanam convocandi, curam animarum committendi, officiaque ſacra erigendi & conferendi; inſpectio in loca eccleſiaſtica, eccleſias & domos religioſas diæceſeos ſpecialiter non exemtas. Alia jura *diœceſana* vocantur, ad quæ ſpectant, jus exigendi a diæceſanis canonicam obedientiam, ſubſidium charitativum, decimas & cenſus. Alia denique ſunt jura *ſtatus ſeu honoris*; ceu jus mitræ, pedi, annuli, crucis pectoralis, chirothecarum, dalmaticæ, tunicellæ, ſandaliorum. *Lud.* THOMASSIN. *P. 1, L. 2, c. 58. J. Caſp.* BARTHEL. *de jure reform. novo. art. 2, §. 1, op. p. 262.*

II. Ordo epiſcoporum ex inſtitutione eccleſiaſtica tripartitus eſt. Alii ſunt Patriarchæ, alii Archiepiſcopi, alii tantum Epiſcopi. Ad Patriarchas vel Primates (*a*) per plures provincias; ad Archiepiſcopos vel Metropolitanos (*b*) per unam provinciam; ad Epiſcopos vel Ordinarios (*c*) per ſuam diæceſim jus regiminis eccleſiaſtici certa ratione pertinet.

(*a*) Archiepiſcopus Gneſnenſis ſimul eſt Regni Poloniæ Primas; cui inſignis auctoritas tum in Eccleſia tum in Republica Polona de jure competit. Primatis titulus *præeminentiæ* gradum plerumque denotat, quo cæteros ejuſdem regni prælatos antecedit. ZECHIUS *de orig. ſtat. & jur. Primatum Germ. c.* 2, 3.

(*b*) Epiſcopi provinciæ non exempti, Metropolitæ *ſuffraganei* dicuntur. Horum a clero & populo electorum, confirmatio & ordinatio ad jura metropolitica ſec. XIII adhuc pertinebat: jure iſto aliiſque inſignibus Archiepiſcopi nunc plerumque carent.志 Supereſt ipſis 1.° poteſtas convocandi & dirigendi concilium provinciale tertio quoque anno in regula celebrandum. 2.° viſitandi totam provinciam, cauſâ prius in concilio provinciali probatâ. 3.° ſalvo jure diæceſano primæ inſtantiæ, exercendi juriſdictionem contentioſam in provinciæ Epiſcopos & in eorum diæceſanos, ſi cauſa ab iis eorumve Vicariis Generalibus per appellationem ad ipſos devolvitur. 4.° ſupplendi negligentias prælatorum, qui crimina non puniunt, mores non corrigunt, oratores ſacros non ſeligunt, ſeminaria pro clero inſtituendo non erigunt, ad eccleſias non reſident. *van* ESPEN. *in jur. eccleſ. P.* 1, *t.* 19 & 20.

(*c*) Omnibus Epiſcopis, ut jam dictum probatumque eſt, non ſecularis ſed eccleſiaſtica juriſdictio vi ſui muneris competit. Illa etiam non nullis Germaniæ & ſingulis Poloniæ Epiſcopis relicta eſt, quod illi perſonam principum Imperii, hi principum & ſenatorum Regni perſonam ſimul gerant.

III. Tam epiſcopi quam cæteri prælati promoventur aut per electionem, aut per poſtulationem, aut per nominationem (*a*) ad pontificem pro confirmatione neceſſario deferendam. Epiſcopus electus vel nomi-

nominatus jus in beneficium acquirit; non tamen ea quæ ſunt ordinis, ſed quæ juriſdictionis ſunt, exercere poteſt, & ad conſecrationem intra 3 menſes petendam tenetur. Conſecratio ab archiepiſcopo vel ex ejus delegatione ab alio epiſcopo, aſſiſtentibus ad minimum duobus epiſcopis vel abbatibus, interveniente chriſmatis unctione peragitur.

(*a*) Jus nominandi ad omnes epiſcopatus & ad pleraſque abbatias commendatarias, Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ & Archiducibus Auſtriæ vi concordatorum convenit.

ASSERTIO IV.
DE USU ET AUCTORITATE PALLII.

Pallium (*a*) jure communi omnibus *archiepiſcopatibus* (*b*) annexum, peti debet intra 3 menſes a die conſecrationis ſub jactura prælaturæ (*c*). Præſtito prius fidelitatis & ſubjectionis jurejurando, prælato vel ejus ſpeciali procuratori à Rom. Pontifice vel ab ejus delegatis traditur. Quibuſdam Epiſcopis (*d*) ex privilegio pallium quoque conceditur; pro illo autem omnes *taxam* conſuetudine firmatam ſolvunt. Pallii uſus adſtrictus eſt ad perſonam; ad pro-

vinciam vel diæcesim cui quis præest; ad pontificalia inter missarum solemnia determinatis diebus peragenda. Qui præest duabus ecclesiis honore pallii insignitis, duplici pallio indiget, & ad aliam similem sedem translatus, ad novum pallium impetrandum obligatur: id commodari alteri nequit, & palliatus cum eo sepeliendus est (*e*). A pallio non ea dependent, quæ jus diæcesanum vel jurisdictionem concernunt: per illud designatur non nisi *plenitudo pontificalis potestatis*, seu ab eo jurium pontificalium exercitium pendet (*f*).

(*a*) Pallii ornamentum, olim signum honoris fuit patriarchis, imperatorum indulgentiâ concessum. Seculo imprimis VIII pontifex id archiepiscopis conferre cæpit. *Franc.* FLORENS *oper. t. I, p.* 222. *J. Casp.* BARTHEL *de pallio c.* 1, 2, 3. *Theod.* RUINARDUS *in disquis. hist. de pallio archiepiscopali c.* 13. Gratis illud tradi, juxta *c.* 3, *D.* 100. in usu amplius non est.

(*b*) *c.* 1, *D.* 100. *c.* 3, *X. h. t.*

(*c*) *c.* 1, *D.* 100. *c. un. Extrav. comm. h. t.*

(*d*) Episcopus Bambergensis, & Episcopus Passaviensis in Germania habent usum pallii ab a. 1728. Episcopus Herbipolensis eundem an. 1753 obtinuit. *Vid. J. Casp.* BARTHEL *&* *J. Ge.* PERTSCHII *diss. jur. can. de orig. usu & auctoritate pallii archiepiscopalis*, ubi simul jura sedis Moguntinæ contra Herbipolensem de collato huic nuper pallii usu vindicantur.

(*e*) *c.* 4, *in f. X. de postulat. prælatorum. c.* 2, *X. h. t.*

(*f*) *c. 3*, *X. h. t. c. 8*, §. *1*, *D. 100*. *c. 28*, *X. de electione*. van ESPEN. *in jur. eccles. P. 1*, *tit. 19*, *c. 7*, §. *14*. Huc pertinet jus inungendi & coronandi reges, ut exemplo illustrat OTTO Frisingensis Chron. *lib. 7*, *c. 22*.

ASSERTIO V.

DE CONCILIIS ET EXERCITIO REGIMINIS ECCLESIASTICI IN IISDEM.

IN æcumenico concilio (*a*) soli episcopi, Romano pontifice per se vel suos legatos præsidente, unitam ecclesiam repræsentant. Positi a Spiritu Sancto regere ecclesiam Dei, si non sunt legitime impediti, conciliis *jure divino* omnes interesse tenentur, nisi a suis imperantibus, vel aliunde impediantur: in iis potestatem consulendi & decidendi *jure proprio* exercent. Leges in concilio latæ ut membra ecclesiæ & reipublicæ obligent, legitimam promulgationem desiderant: confirmatio summi imperantis (*b*), ad promptiorem canonum observantiam summopere utilis est. Imperantes jus etiam habent ad concilium delegatos ablegandi voce tamen decidendi in eo non gaudentes.

(*a*) Jus coeundi in concilium vel *synodum*, & causas regiminis ecclesiastici in commune tractandi, est jus ecclesiæ proprium, Maxi-

ma poteſtatis eccleſiaſticæ ratio olim fuit apud concilia : in quibus credenda per *dogmata*, & agenda definita ſunt per *canones*.

(*b*) Fuit in more poſitum eccleſiæ prioribus ſeculis, definitiones ſuas latoſque de diſciplina canones cum litteris ad principes mittere, quibus petebat, ut hi decretis & canonibus jam a concilio latis ad promptiorem eorum executionem ſubſcriberent. Hujus exemplum extat in epiſtola ſynodica concilii Conſtantinopolitani I ad Theodoſium Imp. de anno 381, quæ in majore collectione regia conciliorum tom. III, pag. 385, inter alia ſic habet : „ Agentes Deo debitas gratias neceſſario „ quoque ea, quæ acta ſunt in ſ. concilio, ad tuam referimus „ pietatem : nempe quod ex quo tempore ex mandato tuæ „ pietatis Conſtantinopoli convenimus, primum quidem mu„ tuam inter nos concordiam renovavimus : deinde vero „ breves etiam *præſcripſimus* ac *prænuntiavimus* quoſdam quaſi „ terminos, regulaſve, quibus & patrum, qui Niceæ congre„ gati fuerunt, fidem *confirmavimus* comprobavimuſque, & „ quæ adverſus eam obortæ ſunt, perverſas hæreſes ac pra„ vas opiniones, extrema cum execratione ac deteſtatione re„ probavimus. Præterea etiam ad recte conſtituendum ac or„ dinandum ſtatum ac diſciplinam eccleſiarum certos canones „ *ſtatuimus*, ac *præſcripſimus*; quæ omnia huic noſtro ſcripto „ ſubjecimus. Rogamus igitur tuam clementiam, ut per litte„ ras tuæ pietatis ratum eſſe jubeas confirmeſque concilii „ decretum : & ſicut in litteris, quibus nos convocaſti, eccle„ ſiam honore proſecutus es; ita etiam *ſummam eorum*, QUÆ „ DECRETA SUNT, *concluſionem* ſententia atque ſigillo tuo *cor*„ *robores.* “ Quis autem hujus ſynodalis epiſtolæ verus ſenſus ſit, quæ imperatorum, qui ſynodis interfuerunt, de ſua circa canones in hiſce conciliis latos authoritate perſuaſio fuerit, ex ſequentibus patet. 1.° Patres concilii Epheſini a. 431 poſt-

quam Neſtorium jam condemnaverant, ſic ſcribunt ad Impp. Theodoſium & Valentinianum, apud HARDUINUM Tom. I, pag. 443. „ Veſtram Majeſtatem iterum atque iterum roga- „ tam cupimus, ut univerſam illius (Neſtorii) doctrinam è „ Ss. Eccleſiis *ſubmoveri*, ejuſdemque libros, ubicunque loco- „ rum repertos flammis tradi jubeat, per quos Dei gratiam, „ propter ſuam in nos benignitatem hominis facti, abolere „ contendit; quam ille non benignitatem, ſed divinitatis igno- „ miniam cenſuit. Quod ſi quis veſtras ſanctiones ſpreverit, „ ille veſtræ dominationis indignationem formidet. Sic enim „ apoſtolica fides per veſtram pietatem MUNITA, perſiſtet „ illæſa. " En Patres concilii doctrinam Neſtorii hæreticam definiunt, damnant, eumque a ſede epiſcopali dejiciunt, rogantque tantum, ut Cæſares abolendo libros damnatos, fidem *muniant* & ſic *externa* authoritate ſua confirment. 2.° MARCIANUS patres concilii Chalcedonenſis anno 451 ipſe præſens ſic alloquitur, apud HARDUINUM Tom. II, pag. 466. „ Nos „ ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exer- „ cendam exemplo religioſiſſimi principis Conſtantini, ſynodo „ intereſſe voluimus, ne vel ulterius populi pravis ſuaſionibus „ ſeparentur. Facile enim ſimplicitas quorundam hactenus non- „ nullorum ingeniis atque ſuperflua verboſitate decepta eſt, & „ conſtat diverſorum pravis inſinuationibus diſſenſiones & hæ- „ reſes natas. Studium autem noſtrum eſt, ut omnis populus „ per veram & ſ. doctrinam unum ſentiens, in eandem re- „ ligionem redeat, & veram fidem catholicam colat, quam ſe- „ cundum inſtitutiones Patrum exponere concordantibus æque „ animis religio veſtra feſtinet : quatenus ſicut a Nicæna ſy- „ nodo uſque ad proximum tempus, erroribus amputatis, vera „ fides cunctis innotuit; ita & nunc per hanc ſ. ſynodum re- „ motis caliginibus, quæ in his paucis annis, ſicut ſuperius „ dictum eſt, pravitate atque avaritia quorundam emerſiſſe

„ videntur, perpetuo, *quæ ſtatuta fuerint*, conſerventur. “ Certè fatente ipſo MARCIANO, nulla ſibi in decreta ſynodi auctoritas competit, adeoque nec ſtrictè dicta confirmatio. Fidem a patribus definitam firmare & protegere MARCIANUS ſibi glorioſum duxit.

ASSERTIO VI.

DE STATU ET JURIBUS CAPITULORUM IN GENERE.

I. Capitulum eccleſiæ cathedralis, tanquam corpus cum epiſcopo unitum, & illius ſenatum eccleſiaſticum conſtituens, epiſcopatum repræſentat. Sede vacante, ubi non obtinet nominatio regia, jure gaudet eligendi ſucceſſorem, & ſuccedendi in juriſdictionem epiſcopi. Hæc a vicario per capitulum intra 8 dies electo, in iis tantum exerceri poteſt, quæ ipſi epiſcopo ſpeciali titulo reſervata non ſunt. Eccleſiæ cathedralis, & eccleſiarum collegiatarum capitula (*a*), juriſdictioni epiſcopali ſubjecta ſunt, niſi exemptionis privilegio gaudeant; quo caſu nihilominus epiſcopo ſubſunt, vi delegationis in Concilio Tridentino (*b*) factæ: ſed tantum in iis regnis, in quibus illud receptum & publicatum eſt; in aliis locis

episcopi jus istud *quà Ordinarii* exercent. Fruuntur etiam capitula jure agendi conventus, condendi statuta, a Superiore ecclesiastico approbanda, exercendi jurisdictionem correctivam sed limitatam in eos, qui sunt de sua ecclesia. Frequenter iis competere solet jurisdictio ecclesiastica contentiosa, episcopo tamen subordinata.

(a) Priscis temporibus capitulorum hæc fuit disciplina, ut certi clerici ecclesiæ alicujus *canoni* vel *matriculæ* adscriberentur, qui in ecclesiis cathedralibus & collegiatis ad vitam communem secundum regulas agendam se obstrinxerant. Tum quidem in canonicis recipiendis non magis *nobilitatis* quam *dignitatis doctoralis* ratio habita est, siquidem *nobiles* & *ingenui*, *militiæ* vacantes, ordines sacros rarius ambierunt. Aucto postea status canonicalis splendore, vitæ commmunione deserta, vivendique ratione in *bonorum affluentia* lautiori & laxiori reddita, vitæ canonicalis tranquillitas illustriori loco natis adeo perplacere cæpit, ut hi non appetierint modo in ecclesiis cathedralibus & collegiatis beneficia, sed & eadem sensim nobili & militari generi passim propria effecerint, accedentibus maxime ditissimis bonorum largitionibus, fundationibusque *ea lege* factis, ut non nisi *generis nobilitate conspicuis* obvenirent. Quod primo usu & observantia in variis ecclesiis sec. XI jam introductum, dein imitatione ad alias propagatum, tandem consuetudinis & statuti jure in multis ecclesiis cathedralibus & collegiatis obtinere cæpit. *Conf. Jo. Ge.* CRAMERI *tr. de juribus & prærogat. nobilit. avitæ cap.* 2, §. 9. Neque tamen hæc observantia ubique nec omnino oppressit priscam disciplinam. In multis ecclesiis, viris non generis quidem nobilitate sed *doctrinæ*

& virtutis meritis conſpicuis aditus ſervatus eſt ad beneficia eccleſiaſtica, idque ſec. XIII pro jure communi habitum (*vid. c. 37, X. de præbend.*) & recepto corpore juris Canonici pro *jure communi* agnitum eſt; ſalva ceteroquin particularium eccleſiarum in *nobilibus & militaribus* hominibus recipiendis *obſervantia*. Idem illuſtrat commune capitulorum inſtitutum & præceptum, ut iis doctrinis & diſciplinis, quas *functionum eccleſiaſticarum* indoles deſiderabat, imbuerentur recipiendi, ſcholiſque canonicis intereſſent tamdiu, donec diſciplinis ſatis inſtructi, ſolemnique examine probati a Scholaſtico emanciparentur, ſeu ab obligatione ſcholas canonicas frequentandi ſolemniter abſolverentur. Promotis maxime favent *Concordata Nationis Germanicæ* cum MARTINO V an. 1418 inita, ubi cavetur, ut *Graduatus* præferatur *non Graduato* in beneficiorum collatione, utque ſexta pars canonicorum Doctores & Licentiati ſint aliiſve honoribus academicis exornati. *Vid.* LEIBNITII *Cod. jur. gent. dipl. tom. I, p. 338 & 386.* Non minus eiſdem conſulendum cenſuit *Concilium Tridentinum Seſſ. 24, cap. 12*, dum *dimidiam* canonicatuum partem Magiſtris Doctoribus vel etiam Licentiatis in Theologia & jure Canonico, ubi id commode fieri poſſet, conferendam eſſe monet. Hodienum omnia redeunt ad capitulorum obſervantiam vel ſtatuta, quibus ubi avita generis nobilitas in recipiendis non deſideratur, præcipua quædam ſolet dignitatis academicæ ratio haberi.

(*b*) Seſſ. 6, c. 4, de reform. Seſſ. 25, c. 6.

II. Collegia canonicorum (*a*) inſtituta fuerunt ad conſervandam eccleſiaſticam diſciplinam, ut canonici officia divina quotidie communiter peragerent, pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, atque epiſcopos opera & officio juvarent.

(*a*) Hæc

(*a*) Hæc jam cæperunt in *Africa* ſub AUGUSTINO, qui clericos ſuæ eccleſiæ in vitæ communionem, monachorum ad inſtar congregavit : mos hic propagatus eſt ſeculo VIII ſub CHRODOGANGO, Epiſcopo Metenſi ; qui vitæ communis ſocietate inter clericos eccleſiæ ſuæ epiſcopalis inſtituta, eoſdem non quidem votis, ſed *regulæ* in XXXIV capitulis a ſe præſcriptæ ſubjecit, officiorum divinorum quotidie in commune peragendorum cauſa. *Paul.* DIACONUS *in geſtis epiſc. Metenſ. apud Auguſtin.* CALMET *hiſtoire de Lorraine tom. I, Cod. probat. pag. 56.* Approbatum eſt hoc inſtitutum in Synodo Aquiſgranenſi a. 816, regnante LUDOVICO PIO celebrata; ejuſque auctoritate nova regula pro utroque ſexu concinnata eſt auctore *Amalario*, diacono Metenſi. Regulæ Chrodogangi præcipua lex fuit de *vita communi* inter canonicos in eadem domo agenda. Affluentia bonorum & deſiderium liberiorem auram reſpirandi, fecerunt locum tranſeundi a vita communi ad ſingularem : idque paſſim contigit ſec. X & XI. TRITHEMIUS *in Chronico Hirſaugienſi ad a. 973.* Ut in aliis capitulis ſervaretur vel reſtauraretur *vita communis*, canonici, quos *regulares* vocant, *voto paupertatis* obſtricti ſunt, more ab inſtituto Auguſtini repetito : ejuſque conſilii auctor habetur IVO Carnotenſis epiſcopus. *Vid. Lud.* THOMASSIN. *de nova & vet. eccleſ. diſcipl. P. 1, lib. 3, c. 55, §. 8, c. 11, §. 7.*

III. Officia a canonicis peragenda ex ſtatutis & obſervantia capitulorum multum variant. *Decanus* capituli præeſt capitulo. *Præpoſitus* aliquando dirigit temporalia, aliquando divina, quanquam & is hinc inde præſit capitulo. *Archidiacono* jure decretalium competit inſpectio in parochias, in clericos & bona

ecclesiastica, jus visitandi, institutio clericorum, examen ordinandorum (*a*). *Primicerius* præest officiis divinis in choro cantu peragendis. *Scholasticus* scholæ præest, collegio canonicorum olim annexæ (*b*). *Custodi* relicta est vel custodia propriæ canonicorum ecclesiæ, vel sacrarii custodia commendatur. Multa tamen ex his officiis in solum *personatum* transierunt.

(*a*) *c.* 1 & 7, *de offic. Archidiac. c.* 54, §. 1, *X. de elect.* Jura Archidiaconi, qui erat Vicarius natus Episcopi, splendida olim erant; sed sec. XII restringi cæperunt. Officialium & Vicariorum Generalium constitutio successisse videtur Archidiaconorum potestati. *van* ESPEN. *in jur. eccl. P.* 3, *tit.* 5, *c.* 1, §. 19.

(*b*) Florebant in plerisque capitulis scholæ, pro instruendis junioribus canonicis iisque ad functiones ecclesiasticas præparandis imprimis institutæ. His regendis præerat *Scholasticus* inter primos canonicos relatus, vicarium habens scholæ rectorem vel magistrum. Intra has scholas constituti canonici juniores, disciplinæ Scholastici tamdiu subjecti erant, donec tandem in artibus & in cantu satis instructi, prævio Scholastici examine publice probati, solemni *emancipationis* ritu ex nexu Scholastici dimissi, & digni judicati, ad jus capituli & majorum canonicorum consortium adspirarent. Iisdem intra scholas adhuc constitutis, non minus prospectum erat ex bonis ecclesiæ communibus, datis & assignatis præbendis minoribus; quanquam hæ dispositioni & procurationi Scholastici relinquerentur. Erectis in Gallia, Italia, Germania & Polonia academiis, fere desierunt scholæ canonicæ, & in scholas puerorum conversæ sunt; triennio vel quadriennio vel ulteriori tempore per capitulum constituto, quo litterarum studiis operam in academiis

dare oportuit novitios canonicos. *Vid. Jo.* LAUNOIUS *de Scholis celebribus a Carolo M. & post Carolum M. in occidente instauratis. cap. 9, p. 45. & Jo. Ernest.* FLOERCKE *de canonico Scholastico* §. 2.

ASSERTIO VII.

DE JURE PAROCHI.

PAROCHUS (*a*) ordinarius per parochiam dictus, potest assumere tum coadjutores seu vice pastores, tum vicarios constituere ab episcopo approbatos. In jure parochiali, quod competit parocho vi regiminis per parochiam auctoritate ecclesiastica definitam (*b*), continetur 1.° jus sacra parochialia administrandi. 2.° jus cogendi parochianos ad sacra in propria parochia saltem in anno semel percipienda. 3.° jus exigendi a parochianis præstationes, vel in usus ecclesiæ parochialis, vel in stipendium parochi jure impositas.

(*a*) Est presbyter ad regimen parochiæ internum assumptus. Hic dicitur *rector, curatus, plebanus*; & ipsa parochia *rectoria* vocatur *c.* 7, §. 2, *X. de elect. c.* 3, *X. de offic. jud. ord. Clem.* 2, *de sepult.*

(*b*) Origo parochiarum seculo IV antiquior non est. *Petr.* GIBERT. *in corp. jur. can. tom. II, p.* 208.

ASSERTIO VIII.
DE FEUDIS ECCLESIASTICIS.

Feudorum ecclesiasticorum (*a*) dominium directum est penes ecclesiam; eorum *prodominium*, hoc est exercitium jurium, quæ domino directo insunt, penes solum prælatum ecclesiæ : in certis tamen causis adstrictum esse potest ad consensum capituli. Qui feuda ab ecclesia tenent, ecclesiæ & prælati (*b*) vasalli sunt. Renovatio investituræ, quam mutato domino jure fieri oportet, facienda est mutato prælato ceu prodomino; eaque petenda est intra annum, ex quo is ecclesiæ per electionem, postulationem vel nominationem præesse incipit.

(*a*) Beneficiorum & feudorum ecclesiasticorum discrimen in eo positum est. 1.° In *beneficio* prædium conceditur *pro determinato officio* utendum fruendumque, ut veluti sit remuneratio fidei in officio præstandæ; *feudum* non stipendii ad instar datur pro officio, sed sub conditione præstandæ fidelitatis. 2.° Obligatio ad fidem in officio & beneficio præstandam *personalis*, in feudo *realis* est, eaque intuitu *rei* seu *prædii feudalis* suscepta. 3.° Juramentum fidelitatis in beneficiis *propter officium* bene gerendum exigitur; quod in feudo intuitu bonorum feudalium præstatur.

(*b*) Illius est jurisdictio de causis, jura & obligationes circa feuda

concernentibus; quæ eſt ſpecies ſecularis juriſdictionis, & provocationi ad ſecularia tantum judicia obnoxia. *c. 7, X. de foro compet.* Sine ejus conſenſu feuda eccleſiaſtica nec alienari, nec hypothecæ nexu obligari poſſunt. *c. 7, X. de conſtitutionibus.*

ASSERTIO IX.

DE JURE MAJESTATICO CIRCA SACRA.

I. Imperantibus, quos æternum ac omnipotens Numen æque conſtituit tutores & defenſores *Reipublicæ*, ac protectores & advocatos *Eccleſiæ* (*a*), jus ineſt ferendi ſanctiones, quibus ſalutem utriuſque ſacræ & profanæ reipublicæ tueri poſſint. Hinc illis propria eſt poteſtas, & urgendi exactiſſimam canonum obſervantiam, & tollendi abuſus qui adverſantur imperii bono, & in electionibus iis dandi *excluſivam*, quos certo prævident fini temporali noxios, & publicæ tranquillitati inimicos.

(*a*) Ex jure *advocatiæ eccleſiaſticæ* deſcendit in ſum. imperantem tum *jus* leges eccleſiaſticas additis pænis civilibus roborandi, tum *obligatio* impedimenta cultus divini in republica removendi, jura & poteſtatem eccleſiæ, ad repellendam aliorum vim & injurias, brachio ſeculari tuendi & protegendi. *c. 1, X. de novi operis nunciat. c. 20, C. 23, qu. 5.* Jus majeſtaticum circa Sacra continet tam *advocatiam* & *defenſionem* eccleſiæ *civilem*,

quam *inspectionem secularem* in eandem : hinc prorsus diversum est a *potestate ecclesiastica*, ac in eo consistit: quod principi *quà principi* competat jus curandi ea, quæ in ecclesia respectum habent ad reipublicæ salutem vel ad tutelam publicam. Ex eo descendit 1.° jus diversæ religionis consortibus sacrorum suorum exercitium concedendi & legibus determinandi. 2.° jus cavendi, ne quid adversus reipublicæ salutem juraque religionis per leges publicas data, doceatur aut scribatur, & hujusmodi scripta prohibendi. 3.° jus intercedendi *controversiis religionis*, ne quid detrimenti ex eis respublica capiat. *Jo. Jac.* MOSERI *Staatsrecht. tom. III, lib. 2, c. 19, §. 12, 30.* Inspectio secularis differt ab inspectione ecclesiastica : illa est jus imperii civilis, curandi & efficiendi, ne salus & tranquillitas publica detrimenti quid ab exercitio potestatis ecclesiasticæ capiat; hæc est jus ecclesiæ curandi & efficiendi, ut politia ecclesiastica salva sit, & disciplina ecclesiastica observetur.

II. Placitum Regium (*a*) illæso jure potestatis ecclesiasticæ datum, justum est. Princeps in eo casu non jurisdictionem spiritualem, sed jus defensionis naturalis exercet. Illi scire procul dubio competit, quam leges ecclesiasticæ suis subditis obligationem imponant; ut ea avertat omnia, quibus jura regni aperte lædi, & perturbationes subito excitari valeant.

(*a*) Est consensus principis, legibus ecclesiasticis antequam promulgentur, vocabulo *placet*, declaratus. Descendit ex jure circa Sacra majestatico, ad quod pertinet jus inspectionis secularis in leges ecclesiasticas, ne quid in iis adversus reipublicæ salutem, & adversus jura imperii, maxime in causis ecclesiasticis mixtis, statuatur. *Petr. de* MARCA *de conc. sac. & imp. lib. 2,*

c. 10, §. 9. lib. 6, c. 22. §. 1. *Paul. Jos.* RIEGGER *in introd. in jus eccl. univers. P. 1, sect. 2, §. 25.*

III. Bona immobilia ſecularia, ne ad eccleſias & mortuas ut ajunt manus, acquiſitionis bonorum in regno capaces, abſque ſpeciali impetrata conceſſione transferantur, lege *amortizationis* ab imperio civili lata, jure meritoque circumſcribi poſſunt (*a*). Saluti enim reipublicæ noxium eſt, ſi multa civium bona ab oneribus publicis exempta ſunt, & excluduntur a commercio, per quod natio diteſcit & floret.

(*a*) *van* ESPEN. *in jur. eccl. P. 1, tit. 29, c. 3 & 4. tom. I, novæ edit. p. 280. Petr.* PECKIUS *de amortizatione bonorum. Jo. Chriſt.* CRAMER de alienatione bonorum equeſtrium ad manus mortuas per ſtatutum prohibita.

IV. In præjudicium Concordatorum (*a*) ſedem inter Apoſtolicam & nationum Principes initorum, nihil ab una parte decerni poteſt; quia ſunt verum pactum, & pacta ſunt ſervanda (*b*).

(*a*) Præcipua Concordata tria eſſe cenſentur. Primum eſt FRIDERICI III Imp. cum NICOLAO V de an. 1448. Alterum FRANCISCI I Regis Galliæ cum LEONE X de an. 1515. Tertium AUGUSTI III Regis Poloniæ cum CLEMENTE XII de an. 1737.

(*b*) *Greg.* ZALLWEIN *in princ. jur. eccl. tom. II, q. 3, c. 3.*

EX
JURE ECCLESIASTICO PRIVATO
ASSERTIO I.
DE ERECTIONE BENEFICII.

Jus erigendi beneficii (*a*) partem poteſtatis eccleſiaſticæ conſtituit. Ratione majorum beneficiorum jus pontifici (*b*), ratione minorum jus epiſcopo in diæceſi competit. Erecto beneficio conſtituendum eſt certum officium ſacrum in eccleſia, dos congrua definienda, ſimulque cavendum, ne illius erectio in præjudicium alterius eccleſiæ vel beneficii vergat (*c*). Fundatio fons eſt jurium, laicis etiam circa beneficia, ex libera conceſſione eccleſiæ, competentium.

(*a*) Beneficium erigi dicitur, ſi beneficium vi *poteſtatis eccleſiaſticæ* conſtituitur in certa eccleſia. Jus uniendi & extinguendi ex neceſſitate eccleſiæ beneficia, jus ejuſdem eſt poteſtatis. Quidquid fit adverſus legem fundationis & erectionis beneficii, *innovatio* vocari ſolet. CARPZOVIUS *in juriſpr. eccl. lib.* 1, *def.* 153.

(*b*) Erectio epiſcopatuum aliorumque beneficiorum majorum olim fuit cauſa concilii provincialis; per ſpurias decretales tacitumque epiſcoporum conſenſum, ad pontificis auctoritatem translata

lata est. FLEURY *institution au droit ecclésiastique tom. I, chap. 15, pag. 139.*

(*c*) c. 36 de præbendis. *Augustin.* BARBOSA *in jur. eccl. lib. 3, cap. 4, n. 12.*

ASSERTIO II.
DE JURE PATRONATUS.

I. Juri patronatus acquirendo tria sufficiunt: assignatio fundi, extructio vel reædificatio, dotatio ecclesiæ vel beneficii ex propriis bonis auctoritate Superioris facta (*a*). Legitima hac fundatione acquisitum, in alios justo titulo transferri, sed non alio modo, quam cum fundo, cui est annexum, vendi potest (*b*). Præcipuus juris patronatus effectus est, jus nominandi & præsentandi (*c*) ad beneficia minora eaque principalia in ecclesia fundata.

(*a*) *Conc. Trid. Sess. 14, c. 12; & Sess. 25 de reform. c. 9. Franc. de* ROYE *de jure patr. in proleg. c. 1, p. 2.* Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus. *Glossa in c. 6, D. 1. de consecr.*

(*b*) *c. 3, 14, X. de jur. patron.*

(*c*) Plures ab uno ex patronis ecclesiæ relicti hæredes vocem duntaxat unius habebunt in præsentatione rectoris. *Clem. 2. h. t.* Patronus se ipsum præsentare nequit. *Fr.* FLORENS *de jur. patr. tom. I, op. p. 279.*

II. Ad beneficium vacans præſentari debet idoneus (*a*) intra tempus conſtitutum, quod eſt quatuor menſium in jure patronatus laicali, & ſex menſium in eccleſiaſtico (*b*). Præſentatio pretio redempta vitioſa eſt & invalida; & præſentato commodum præſentationis, & patrono jus ſaltem hac vice præſentandi adimit (*c*). Si jus patronatus collegio competit, jus nominandi in illo caſu eſt penes membra totius collegii; & peragitur vel ſecundum ſuffragia majora, vel ſi id placuit, alternis vicibus ſeu per *turnum*. Lite de jure patronatus mota, bonæ fidei poſſeſſor jus nominandi & præſentandi valide exercet; proviſione præſentati ſubſiſtente, etiamſi alius deinceps jus patronatus evicerit. Si poſſeſſio illius ſimul litigioſa eſt, nec lis intra tempus præſentationi præfixum finiri poteſt: proviſio beneficii eſt penes epiſcopum tanquam ordinarium collatorem in diæceſi, ſalvo jure ejus, qui jus patronatus evicerit; a quo proviſus deinceps repræſentandus eſt.

(*a*) Idoneus eſt, qui nullo defectu canonico laborat, & inſtructus eſt qualitatibus ad certum beneficium requiſitis.

(*b*) Id videtur eſſe optima ratione inductum. Ut longius præfigeretur tempus patronis eccleſiaſticis, quibus ſemel facta præſentatione naturam electionis imitante, amplius variare non licet. Quæ tamen facultas datur patronis laicis, alium adhuc

intra fatale præsentandi seu variandi; salvo judicio Ordinarii alterutrum ex præsentatis instituendi. Præsentatus à majori patronorum numero, aliis præferri debet.

(c) *c. 11, 13, 15, 34. X. de simonia.*

III. Jura patronorum sunt vel honorifica, vel utilia, vel onerosa (*a*). *Honorifica* in memoriam fundationis & in patroni honorem constituta, tribuunt ei jus processionis, precum publicarum, sedis in choro, sepulturæ in ecclesia, & luctus ecclesiastici: quæ si observantia determinantur, uxori patroni liberisque in ejus potestate constitutis etiam dantur. *Utilia* dant patrono jus in casu inopiæ, alimenta ex bonis ecclesiæ exigendi. *Onerosa* continent advocatiam (*b*) & protectionem ecclesiæ, ex quibus in patronum descendit obligatio defendendi ecclesiam & ejus jura; sive id in judicio fieri sive extra judicium necessitas exigat.

(*a*) Patrono debetur honos, onus, utilitasque. Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus. *Glossa in c. 25, h. t.* Singula jura fundatoribus data ex jure civili & canonico repetenda. *L. 15, C. de ss. ecclesiis. L. 46, §. 3, C. de episc. & clericis, Nov. 57. Nov. 123, c. 18.*

(*b*) Ad eam pertinet jus consentiendi in alienationem bonorum ecclesiæ, in unionem vel in diminutionem beneficii. Quapropter & jus patronatus *advocatiæ*, & patronus *advocati* nomine venit *c. 6, 9, 23, 24. X. de jur. patronat.*

ASSERTIO III.
DE JURE CIRCA DECIMAS.

Ministris ecclesiæ divino cultui intendentibus & spiritualia populo ministrantibus, decimæ (*a*) pietate & consuetudine introductæ, legibus & obedientia firmatæ, non tantum ex charitate, sed ex justitia (*b*) ad congruam sustentationem debentur. Cum *personales* sint universim abolitæ, *reales* debentur singulis annis, ex ipsis & omnibus bonorum decimalium fructibus, nec in æstimatione fructuum, vel in fructibus in aliam speciem conversis, recte præstantur, nisi vi conventionis (*c*). Debentur tam ex prædiis cultis, quam novalibus, hoc est prius per hominum memoriam incultis, & de novo ad culturam redactis. Exigi possunt a quolibet possessore bonorum decimis obnoxiorum (*d*). Fas non est fundum decimalem in fraudem decimatoris in aliam formam redigere, eique quidquam inædificare, nec eum ultra morem regionis relinquere ad pastum pecudum. Immunitas a jure decimandi, vel intuitu omnium vel intuitu certorum fundi fructuum, acquiri potest 1.° concessione Superioris ecclesiastici. 2.° conventione rite & legitime

inita. 3.° præſcriptione (*e*) XL annorum. 4.° præſcriptione immemoriali.

(*a*) Accipiuntur pro jure decimandi, quod eſt jus ſingulare exigendi determinatam partem fructuum ex re aliena provenientium. In regula eſt decima fructuum pars; etiamſi major vel minor pars obſervantia vel conventione definiri poſſit. *Lud.* SCHMIDIUS *diſſert. de nonis. ſect.* 2.

(*b*) Quis militat ſuis ſtipendiis unquam ? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit ? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat ? *1. Corinth. 9.* Omnis titulus, quo miniſtri eccleſiæ temporalia a populo accipiunt, huic unico ex jure naturali petito principio innititur : dignus eſt operarius mercede ſua. Quibus convenit illud vulgatum juris canonici principium : beneficium datur propter officium. *cap. fin. de Reſcript. in 6.*

(*c*) Ejuſmodi decimæ extraordinariæ vocantur *ſaccariæ*, & talis conventio in ſingulos annos inita taciteque renovata cenſetur; ac proinde ſalvum in perpetuum eſt jus decimas in natura exigendi : niſi probetur ſaccarias decimas eſſe vi primæ conſtitutionis, vel vi locationis perpetuæ jure colonario conſtitutas, vel a tempore immemoriali ita eſſe præſtitas. PUFFENDORFIUS *in obſ. jur. univ. tom. I, obſerv. 2. tom. II, obſerv. 137.* BARTHEL *de decimis tom. 2, ſect. 3, §. 4, p. 731.*

(*d*) Fructus perceptos & collectos ex prædio evehere non licet, niſi admonito decimatore. Decimæ præſtari debent nullis deductis expenſis, & ante tributorum & mercedis exactionem. *c. 33, X. h. t.*

(*e*) Hæc eſt modus amittendi jus, ob ejuſdem neglectum per tempus lege definitum. Itaque in præſcriptione adverſus eccle-

ſiam & pia corpora intuitu bonorum immobilium & jurium, tempus quadragenale requiritur; triennii præſcriptione in ſuo vigore manente res mobiles acquiruntur. *Eccleſia Romana*, ex auth. *quas actiones* C. de ſs. eccleſiis, etſi illa a novella 131, cap. 6 recedat, centum annorum præſcriptione gaudet. Eccleſia contra privatos utitur jure communi, & non minus longo quam longiſſimo tempore XXX annorum, præſcribere poteſt res privatorum. Præſcriptio interrumpitur citatione reo inſinuata. *L. 1, C. de annuali except. Clem. 2. Ut lite pendente nihil innovetur.*

ASSERTIO IV.

DE RESIDENTIA BENEFICIATORUM.

Beneficiatorum jura ſine officiis non ſunt. Ex plena proviſione & æquitate naturali tenentur ad reſidentiam (*a*) & obligationes, per ſe, non per ſubſtitutos (*b*), in loco beneficii obeundas. In obligatione ad perpetuam reſidentiam continetur ratio & juſtitia prohibitæ pluralitatis beneficiorum (*c*). Fructus annui vere & ficte per tempus determinatum reſidentibus, diſtributiones autem vere reſidentibus tantum acquiruntur, non vero ficte reſidentibus (*d*); niſi juſta ex cauſa & prævio Superioris conſenſu abſint.

(*a*) Epiſcopi & canonici per tres menſes, parochi, venia ab Ordinario obtenta, ultra octo dies ab eccleſiis abeſſe poſſunt.

Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, evidens eccleſiæ & reipublicæ utilitas, juſti ſunt tituli ad conſenſum longioris abſentiæ obtinendum. Per ſtatutum tempus non reſidentes pænis canonicis obnoxii ſunt. *Conc. Trid. Seſſ. 24, de reform. c. 12.*

(*b*) Admiſſis beneficiatorum ſubſtitutis, reſidentia admodum relaxari, & ad certum tempus reſtringi cæpit, tum ſtatutis capitulorum, tum obſervantia & conſuetudine. *Proſp.* FAGNANUS *ad Decretal. lib. 1, tit. de conſtitut. c. 6, n. 14.* Originem inde ducunt vicarii perpetui canonicorum & vicariæ, quæ inſtar beneficii ſe habent. *c. 6, de offic. vicar. Clem. un. eod.*

(*c*) *c. 5, 13, 15, X. de præbendis.* Ex quo multum de reſidentia laxatum eſt, invaluit diſtinctio inter beneficia ratione reſidentiæ. *Compatibilia* vocantur, quorum plura ab eodem ſimul haberi poſſunt in diverſis eccleſiis, non vero intra eandem eccleſiam, niſi ſint beneficia diverſi generis. *Incompatibilia* ſunt, quæ ab uno ſimul retineri nequeunt, niſi prævia diſpenſatione pontificis. Hæc in Gallia non admittitur ſine placito regio. *van* ESPEN. *in jur. eccl. P. 2, ſect. 3, tom. III, c. 5, ſuppl. n. ult.*

(*d*) Tales vocantur, qui juſta ex cauſa cum conſenſu Superioris abſunt; qui caſu, ſenio, & valetudine impediuntur; qui ſunt in ſervitio Superioris; quibus denique obligatio reſidentiæ diſpenſatione remittitur. *Jo. Petr.* MONETA *de diſtribut. quotid. P. 2, qu. 1.* Immunitas a reſidentia ob ſervitium Superiori ſuo præſtandum beneficiato competens, *beneficium à latere* dici ſolet. *Ge. Henr.* AYRER *de beneficio a latere.* §. 2.

ASSERTIO V.
DE ACQUESTU ECCLESIASTICO.

Non jure canonico, ſed conſuetudine generali, beneficiatis votô paupertatis non obſtrictis competit facultas de acqueſtu eccleſiaſtico (*a*) cujus ſunt domini, inter vivos diſponendi, de eo teſtandi, eumque ad hæredes (*b*) tranſmittendi. Ex eadem obſervantia in quibuſdam eccleſiis, in hæredes defuncti beneficiati ex beneficiis minoribus tranſmittitur annus deſervitus (*c*), & annus gratiæ (*d*).

(*a*) Eſt complexus bonorum beneficiato per beneficium acquiſitorum : ſolet etiam peculium clericorum vocari. Clerici ad debita contracta ex eodem ſolvenda cogi poſſunt, dummodo ipſis ad inopiam redactis, ſalva permaneat portio ad vitæ ſuſtentationem idonea, hoc eſt, ſalvo beneficio competentiæ: quia beneficia dantur in honeſtam beneficiati ſuſtentationem. Gonzalez. *ad Decretal. c. 2, X. de dolo & contumacia.*

(*b*) Deficiente omni hærede, peculium defertur eccleſiæ, cui defunctus inſerviit. *L. 20, C. de epiſc. c. 7, C. 12, qu. 5.*

(*c*) Eſt complexus redituum, beneficiato defuncto ex beneficio intuitu reſidentiæ debitorum & nondum perceptorum.

(*d*) Eſt complexus redituum, hæredibus defuncti beneficiati ex beneficio vacante per tempus determinatum præſtandorum. *Sam.* Stryck *de anno gratiæ. Andr.* Hoffman *de anno gratiæ, & quatenus ad hæredes collaterales transferri queat.*

ASSERT. VI.

ASSERTIO VI.
DE JURE SEPULTURÆ IN PAROCHIA.

PAROCHO competit cura *liturgiæ* circa ſepulturam in parochia demortuorum, & ex conſuetudine jus circa funeralia. Quilibet parochianus (*a*) in cæmeterio parochiali ſepeliendus eſt, niſi vel ſepulchrum particulare habeat, vel alibi ſibi elegerit ſepulturam; quod poteſt, modo parochiæ funeralia ſolvat (*b*). Ex recentioribus atque laudandis quorundam principum legibus fas non eſt ſepelire in urbibus & in templis, niſi hoc certis perſonis ex jure honoris debeatur; ut principi, patrono, clericis, vel ab eccleſia ſpeciatim impetretur (*c*).

(*a*) Peregrinus in cæmeterio ejus parochiæ ſepeliendus eſt, intra cujus fines moritur, ſalva libertate funus ad parochiale cæmeterium deducendi. *Lud.* CRELI *de translatione mortuorum per alienum territorium.*

(*b*) *c. 8, 10, X. de ſepult. c. 2, eod. in 6.* Loci religioſi vel liturgiæ denegatio in pænam facta, jure canonico cadit in excommunicatos, hæreticos, pereuntes in duello, & uſurarios notorios. Denegatio inhumationis vel moris ſepeliendi humani, ad juriſdictionem criminalem pertinet.

(*c*) Honor ſepulturæ in eccleſia debetur illi, qui pietate atque meritis inſignibus eccleſiam exornavit. ZECHIUS *de jure rerum eccleſ. ſect. 2, tit. 23.*

ASSERTIO VII.
DE JURE ASYLI.

Jus asyli (*a*) ad limites justitiæ revocatum, ac nisi oppressis adversus omnem injuriam & vim injustam concessum (*b*), justi & æqui rationem continet.

(*a*) Jure hoc securitas publica tribuitur ad loca sacra & religiosa confugientibus. Originem ducit ab imperatorum advocatia & concessione, decretis ecclesiasticis firmata. Violatio personarum & rerum in iisdem graviori pæna vindicatur. *L. 10, C. de episc. & cler. Auth. Sed jure novo. C. eod. art. 171.*

(*b*) Templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur a lege. *Nov. 17, c. 7.*

ASSERTIO VIII.
DE DIVORTIO.

Divortium publicum (*a*) jure canonico justam causam desiderat, quia matrimonium ratum & consummatum jure divino indissolubile est (*b*). Aliud est quoad *vinculum*, & dicitur divortium *totale*; quo matrimonium validum ita dissolvitur, ut utrique conjugi salva sit ad novas nuptias transeundi facultas (*c*).

Aliud quoad *torum & menſam*, & vocatur divortium *partiale*, ſive *ſepararatio*; qua obligatio ad debitum conjugale, & ad vitæ conſuetudinem ſalvo conjugii vinculo, ad tempus aut in perpetuum judicis eccleſiaſtici decreto ſuſpenditur (*d*). Ex ſententia juris divini, juſta ſeparationis perpetuæ cauſa eſt adulterium *verum*, quod commiſſum eſſe in judicio probatur (*e*): ex mente juris canonici ſufficit etiam *præſumptum*, quod commiſſum eſſe ex violentis conjecturis præſumitur. Jus petendi ſeparationem ad tempus oritur ex hæreſi aut apoſtaſia fidei, ex inſidiis vitæ ſtructis, ex præfracta denegatione debiti conjugalis, ex periculo animæ & corporis, denique ex viri ſævitia. Ob cauſas ab infortunio provenientes divortium in foro decerni nequit.

(*a*) Privato divortio apud judæos olim ob cordis duritiem, & apud chriſtianos ob legum abuſum locus erat: hodie cauſa divortii in judicio legitime probanda eſt. Privatim divertentes ad matrimonium continuandum coguntur, & diſceſſio unius conjugis altero invito facta, ſpolii inſtar habetur. *c. 8, 10, 13, X. de reſtitut. ſpoliator.*

(*b*) *Matth. 19, Luc. 10, & 1. Corinth. 7.*

(*c*) Ex principiis Catholicis divortium totale rejectum eſt; hinc matrimonium validum per ſententiam judicis reſcindi, & uterque conjux a vinculo conjugii liberari nequit. Ab eo differt declaratio matrimonii invalidi, quæ ſubinde in ſenſu generali

divortium vocatur. Tunc uxor habet jus *dotem*, & vir *dotalitium* ſive donationem propter nuptias repetendi. c. 1, 2, 3, X. *de donationibus int. vir. & uxor.* Donationes inter virum & uxorem ſtante matrimonio, nec licitæ nec validæ ſunt.

(*d*) Cum ſeparatio fiat ſalvo conjugii vinculo, ſalva etiam ſunt reliqua omnia conjugum jura & obligationes: ideoque & obligatio mariti ad uxorem alendam, & hujus jus dotis, utriuſque jus ſuccedendi ex pactis dotalibus vel aliunde competens, integra perſiſtunt. *c. 2, X. de divortiis.* WERNHER. *obſervat. for. P. 6, obſ. 325.*

(*e*) Qui exiſtimant matrimonium adulterio *ipſo jure* diſſolvi, opinio eorum nec legibus nec rationibus juris innititur: ex adulterio enim tanquam violatione fidei conjugalis, datur tantum actio de divortio, & oritur jus reſiliendi a ſocietate conjugali, ſi eo jure uti velit pars læſa. Ceſſat vero jus iſtud, ſi conjux innocens violationem fidei conjugalis expreſſe vel tacite nocenti remiſit; vel actor ipſe etiam violatæ fidei reus eſt; aut auctor fuit iſtius violationis, quam accuſat. *c. 4, X. de donat. int. vir. & uxor. c. 6, X. de eo, qui cognovit conſanguin. uxor.* Uxor ſeparata ob cauſam adulterii, nec reconciliata marito, ſi dotem ab ejus hæredibus repetit, exceptione adulterii repellitur: idem jus contra virum nocentem hæredibus uxoris competit.

ASSERTIO IX.

DE FORO COMPETENTE.

FORUM eccleſiaſticum competens habent clerici (*a*), perſonæ & cauſæ eccleſiaſticæ. Ad ejuſmodi

causas referuntur actus sacri, matrimonia (*b*) & sponsalia, beneficia, jus patronatus, loca sacra & religiosa, decimæ ecclesiasticæ, bona ecclesiastica qua talia : si enim hæc ut secularia possidentur, in foro seculari vindicanda sunt. Competentia fori ecclesiastici intuitu causarum, ex sola qualitate causæ æstimatur, nulla habita personarum ratione (*c*); intuitu personarum ex persona reorum accipitur, servato principio : Actor sequitur forum rei. Beneficio primæ instantiæ fruitur reus : nec ideo judicium in foro superiori prius suscipere tenetur, quam finita sit causa in judicio inferiori (*d*), cujus consequens est, ut forum superius incompetens sit, si causa ad illud defertur, prætermisso foro inferiori.

(*a*) Foro seculari subjecti sunt 1.° in causis *feudalibus*. 2.° in actionibus *realibus* supra dictis, bona eorum patrimonialia concernentibus. 3.° forum seculare agnoscere tenentur, si *laicum* conveniunt, vel ei in lite assistunt; quod etiam ex natura litis pendentis obtinet, si laico in lite jam mota succedunt. CORVINUS *in inst. jur. can. lib. 3, tit. 4*, §. *7*. BRUNNEMANNUS *in jur. eccl. lib. 3, c. 1*, §. *29*. In actionibus *personalibus*, excessibus & delictis pæna ecclesiastica coercendis, fruuntur privilegio fori & exemptionis a judicum secularium jurisdictione, idque imperantium beneficio, quod toti Ordini ecclesiastico est datum, & jure canonico confirmatum. Hoc vero non tribuit exemptionem ab imperio civili imperantis : & extendit se tantum ad delicta clericorum *communia*, non autem ad de-

licta *privilegiata*; qualia in Gallia ſunt omnia delicta pænam capitalem vel graviorem corporis afflictivam merentia. *van* ESPEN. *in jur. eccl. P. 3, t. III, c. 2, p. 287.*

(*b*) Inter primos chriſtianos cauſæ matrimonii ex jure divino, præceptis Chriſti & Apoſtolorum æſtimabantur; quo intuitu & ex ratione Sacramenti in regulam abiit, ineundi matrimonii profeſſionem apud eccleſiam faciendam eſſe. Huic acceſſit indulgentia imperatorum, qua cauſas matrimoniales etiam ſub ratione contractus civilis, tum in conciliis definiri, tum in eccleſia judicari permiſerunt.

(*c*) In cauſis eccleſiaſticis in ſpecie ſic dictis, forum eccleſiaſticum unice competens eſt ſine reſpectu perſonarum, modo lis ſit de jure ipſo: quatenus enim tantum lis eſt de poſſeſſione rei eccleſiaſticæ, hæc in quibuſdam regionibus poteſt etiam in foro ſeculari rei ſitæ tractari. *Robert.* KŒNIG *in princ. jur. can. lib. 2, tit. 1, n. 45.*

(*d*) Forum & beneficium primæ inſtantiæ, coram quibuſcunque Ordinariis confirmatum eſt in Concilio Tridentino Seſſ. 24, de reform. c. 20.

EX JURE ECCLESIASTICO CRIMINALI.

ASSERTIO I.

DE PROCESSU CRIMINALI ECCLESIASTICO.

In judicio criminali ecclesiastico triplex est lege definitus procedendi modus. *Processus accusatorius* (*a*) est, quo quis pænam ecclesiasticam adversus criminis reum coram judice ecclesiastico persequitur. *Inquisitorius* (*b*) est, quo judex ex officio de veritate criminis eruenda ipse laborat pænæ sumendæ causa. Hic peragitur vel inquisitione generali in veritatem criminis commissi; vel speciali, contra certam personam, quæ ejus rea arguitur. Ex ipso non nisi clamore publico, qui sine scandalo dissimulari, & sine periculo tolerari non potest, justa & probabilis oritur causa ad specialem inquisitionem descendendi (*c*). *Denunciatorius* (*d*) est, quo quis delictum (*e*) ab aliquo commissum esse, judici vindictæ sumendæ causa significat. In hujusmodi processibus, nemo

pæna afficiendus, ſi de delicto confeſſus vel convictus non eſt (*f*).

(*a*) Modus procedendi in *accuſatorio* ex jure romano repetitus, per canones ſpeciatim definitus eſt. *L. 8, D. de accuſat. c. 5, 6, 8. C. 3, qu. 9, c. 16, 22, X. de accuſat.* Criminis reus ſine accuſatore olim condemnari non poterat : quia in cauſis criminalibus illud ſancte ſervabatur principium : A judice contra quenquam non procedendum, niſi accuſator ſit præſens. *C. 2, qu. 1, c. 4.* Hodie proceſſus accuſatorius, qui olim erat unicus, valde rarus evaſit.

(*b*) Forum civile proceſſum *inquiſitorium* juri canonico debet; hunc enim ab Innocentio III in ſubſidium introductum, ad analogiam accuſationis uſus forenſis determinavit, & vere principalem effecit. Pertschius *in elem. jur. can. lib. 4, tit. 8.*

(*c*) *c. 24, de accuſat. c. 31, de ſimonia.*

(*d*) Denunciatio ſeu nominatio perſonæ privata in delicto præſertim occulto, veriſimilis eſſe debet, & ab homine non ſuſpecto proferenda. *c. 24, X. de accuſat.* Admiſſa eſt ideo, ut denunciatus a Superiore eccleſiaſtico in ſecreto argui, in charitate moneri, ad confeſſionem & pænitentiam compelli poſſet. Riegger *in inſt. eccleſ. P. 4, p. 175, §. 269.*

(*e*) Delicta eccleſiaſtica ſunt facta adverſus leges eccleſiaſticas pænales commiſſa : ſicut delicta ſecularia ſunt, quibus violantur leges ſeculares pæna publica munitæ.

(*f*) Quodſi nec propria confeſſione, nec aliunde convinci poſſit, & tamen veriſimili criminis ſuſpicione oneratus ſit; indicenda ei eſt, modo de perjurio non ſit ſuſpectus, purgatio canonica; qua ſuo ſuorumque *compurgatorum* jurejurando innocentiam teſtetur ſuam : in qua ſi deficit, pro confeſſo habetur. *c. 5, 7, 10, 15, X. de purgatione canonica.*

ASSERT. II.

ASSERTIO II.
DE PÆNIS ECCLESIASTICIS.

Potestati ecclesiasticæ jus est decernendi pænas ecclesiasticas, in remedium tum emendationis obtinendæ, tum salutis fidelium promovendæ. Hæ pænæ vocantur *censuræ*; & decernuntur vel ob delictum, vel ob contumaciam in non parendo præceptis ecclesiasticis. Tres sunt earum species : excommunicatio (*a*), interdictum (*b*) & suspensio (*c*). Excommunicatio est pæna ultima, ultra quam ecclesia non habet, quid faciat (*d*), & quoad effectus civiles subordinata est juri majestatico. Ex eo concludere quidam volunt, summos imperantes ob negotia temporalia excommunicari non posse. Ad Bossuetium provocant, quem tamen hujus quæstionis nec verbo meminisse constat (*e*).

(*a*) *Major* est, qua quis a tota ecclesia, cujus est membrum, excluditur : cum sit extrema ecclesiæ censura, non nisi ex justa causa, & aliis pænis frustra adhibitis infligenda. *Minor* est, exclusio membrorum ecclesiæ ab usu Sacramentorum, & eorum quæ cum his connexa sunt.

(*b*) Est censura, qua usus rerum divinarum vel certis ecclesiæ membris, vel per certum ecclesiæ districtum prohibetur. Pæna

hæc ante ſec. XI inaudita fuit. *Paul.* SARPIUS *tract. ſub tit. Les droits des Souverains défendus contre les excommunications & les interdits des Papes. Jo.* D'AVEZAN *de interdicto in Meermanni theſ. jur. tom. IV, p. 280.*

(*c*) Eſt cenſura, qua adminiſtratio officii, & exercitium jurium beneficii alicui ob exceſſus graves vel ob delicta leviora ad tempus interdicitur. *Remotio* ab ordine vel juriſdictione, & *privatio* beneficii eccleſiaſtici, cum pænam gravem contineant, decerni nequeunt niſi ob delictum grave, cui corrigendo adhibitæ leviores pænæ non ſufficiunt. Status eccleſiaſticus, non per eas, ſed per *degradationem* ſive reductionem ad communionem laicorum, amittitur; ad quam in honorem Ordinis eccleſiaſtici deveniri ſolet, ſi pæna capitalis in clericum eſt ſtatuenda. Ob diſſidia inter epiſcopos & curias parlamentorum oriri ſolita, uſus degradationis ab an. 1615 in Gallia ceſſavit. *Voyez les mémoires du clergé tom. VII, pag, 1312 & 1318.* HERICOURT *P. 1, chap. 22, des peines canoniques n. 86.* FLEURY *tom. II, chap. 19.*

(*d*) *c. 10, X. de judiciis.* Vi ſua non privat communione jurium in republica, quæ vis ei addita eſt ex conſenſu imperantium. *Du* PIN *de diſcipl. eccleſiaſt. diſſ. 3, c. 3.*

(*e*) Genuina illius verba ita ſonant: Primum beato Petro ejuſque ſucceſſoribus Chriſti Vicariis, ipſique eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam eſſe poteſtatem. Dicente Domino-Regnum meum non eſt de hoc mundo: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo — Ac proinde ſtare Apoſtolicum illud — Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit — Reges ergo & principes in tempo-

ralibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium ecclesiæ, directe vel indirecte *deponi*, aut illorum subditos *eximi a fide*, atque obedientia, ac præstito fidelitatis juramento *solvi* posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus ecclesiæ quam imperio utilem, ut verbo Dei, patrum traditioni & sanctorum exemplis consonam, omni modo retinendam. *Vid. Jac. Benigni* BOSSUET *defensio declarationis, quam de potestate ecclesiæ sanxit Clerus Gallicanus d. 19 Martii a. 1682. tom. I, Part. 2.*

REM istis non ita exhausi paginis, ut juris ecclesiastici & ejus historiæ peritis, addendum nihil superesset. Fateor me primas tantum in iis duxisse lineas; eumque mihi solum elegisse finem, ut non multa legendi, sed sana quædam in temporis angustiis præstarem cogitandi argumenta. Quapropter meam qualemcunque operam, in qua idoneis militavi ducibus; viris jucundam, tironibus utilem spero esse futuram.

Czochron Seb.

Assertiones ex historia iuris canonici

et iure ecclesiastico universo selectae